

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiæ Majestatis
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

Cocceji, Samuel von

Lipsiæ, 1766

LIB. IX. TIT. II. Ad. Legem Aquiliam.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9044

OBJ. Quod hæc actio sit personalis, vid. *Laut. p. 142. lit. D.* ad-
eoque non possit dari contra quemcumque possessorem.

RESP. Est personalis, at in rem scripta: nam noxa sequitur ca-
put, & nemo potest noxæ dedere, nisi qui rem habet.

Qv. IV. *An, qui dolo vel lata culpa possidere desit, ha-
beat pro possessore?*

RESP. De dolo hoc indubium; de lata culpa vero id negat *Laut. pag.
Struv. §. 17. h. & alii*, sed tota res expedita est *supr. tit. de R. 142. verb.
V. q. 4.* *Aut dolo*

OBJ. (1) *arg. l. 12. l. 21. pr. Nox. act.* ubi tantum doli fit mentio. *talis esse
desit &c.*

RESP. Sub dolo continetur lata culpa. *d. q. 4.*

OBJ. (2) Quod in hac materia nullibi comparentur.

RESP. Comparantur sua natura. *d. q. 4.*

Qv. V. *An obligatio in noxalibus actionibus sit alternativa?*

NEG. Sed vi actionis actor agit saltem ad noxæ dedendum; at *Laut. pag.
beneficio legis domino noxæ datur electio*, num velit dedere, *143. verb.
num æstimationem solvere; & sic æstimatio non est in obligatione, Utrum
sed in præstatione; de quo, & quid intersit, late egi supra l. 2. reus ai-
tit. 3. q. 7. & 8.* *gerit.*

LIB. IX. TIT. II.

AD LEGEM AQUILIAM.

Qv. I. *An, si liber homo statim perierit, ejus hæredibus detur
actio ex L. Aquilia pro operarum & alimento-
rum neglectu?*

NEG. (1) Quia hæc actio tantum est de damno dato, at de futu- *Laut. pag.
ro seu infecto non datur actio, sed saltem cautio. §. 3. & §. f. 143. verb.
Inst. h. t.* *Non da-
tur si liber*

INSTO, quod in §. 11. h. etiam computetur hæreditas, quæ est *homo sta-
damnum futurum.* *tim &c.*

Cocc. J. C. P. I.

Zzz

RESP.



RESP. Imo ibi supponitur hæreditas, quæ potuit jussu domini adiri, voce *amissæ*: Adeoque ibi præsens est id, quod neglectum est, & jus quæsitum est domino, quod secus est in operis, aliisque commodis, quæ a futuro eventu dependent.

(2) Ubi nullum est damnum datum, ibi cessat quoque actio L. Aquiliæ, l. 33. in f. pr. l. 5. §. 1. h. Laut. h. p. 143. Hic nullum est damnum operarum post mortem, quia nec mortuus damnum, aut quicquam, post mortem patitur; morte enim omne jus definit, & sic juris privatio, cum enim nihil in patrimonio defuncti fuerit, ei quoque nihil dici potest esse ademtum. Ergo &c. l. 24. V. S.

(3) Cujus jus nullum defuncto quæsitum fuit, id ad hæredes non pertinet, d. l. 24. atqui hic nullum jus defuncto quæsitum fuit, quia operæ adhuc futuræ, & ab incerto eventu dependentes sunt, quarum dies nec cessit, nec venit; Ergo &c.

(4) Ob operas neglectas tantum agit, cuius sunt operæ, & quæ neglexit. L. 3. Si Quadr. paup. l. 5. §. 5. l. f. His qui ef. Mortui autem nullæ sunt operæ.

(5) Tantum læsi, non occisi, operæ æstimantur, dd. ll.

(6) Quantum vero peterent hæredes? cum non possit probari, quidnam lucrari potuisset defunctus, quin, cum alias mori, mancus fieri, vel negligere, vel morbo impediri potuisset.

(7) Quin etsi operas præstitisset, potuisset forte ad alia impendere quam alimenta hæredum, &c. male scil. consumendo.

Atque hinc (8) in l. 33. in f. pr. h. t. expresse dicitur illud damni nomine venire, quod aut consequi potuimus, aut erogare cogimur.

Denique & (9) in l. 15. l. 16. §. 1. & l. 36. §. 1. h. diserte traditur actionem hanc ad hæredem occisi non pertinere.

OBJ. (1) L. 68. ad L. falc.

RESP. Non ibi de futuro damno restituendo agitur, sed de æstimatione fructus ex vita probabili. Vid. sup. tit. Quib. mod. Ususfr. am. q. 1.

OBJ. (2) L. 7. pr. h.

RESP. Loquitur de operis viventis, eoque vere neglectis, & sic damno dato quod apparet.

OBJ. (3) L. 14. l. 23. pr. h.

RESP. Non loquitur de operis, sed de servis legatis, & occisis; quod verum ac præsens damnum hæredis & legatarii est, qui dominium ipso jure acquirunt.

OBJ.



OBJ. (4) L. 23. §. 8. Ubi actio hæredi datur.

RESP. Actio omnino datur hæredi, sed de damno, quod hic non est.

OBJ. (5) L. 1. §. 5. *his qui dejec.*

RESP. Datur ibi popularis actio de homine occiso in 50. aureos, non hæc de damno.

Moribus tamen vidux ac liberis aliquid solvi obtinuit. *B. Par. Hyp. Inst. h. t. §. 8. Sand. l. 5. tit. 9. def. 5. Vinn. pr. Inst. h. Gifeb. Inst. Harm. ad §. 1. His qui quasi ex del. n. 32. Et late seq. Quod arbitrio iudicis relinquitur. Stryk. U. M. h. §. 9.*

Qv. II. *An actio hæc detur provocanti vulnerato ad expensas Et interesse?*

NEG. Quia sua culpa damnum sentit, indeque pro damno non habetur. *L. 103. R. I. Accedit, quod nemo improbitate sua actionem consequatur. L. 12. §. 1. furt. l. 22. Neg. Gest. l. 1. §. 11. si quadr. paup.* *Laut. pag. 143. verb. Hinc non datur provocanti*

Idem quoque est in provocato, qui ultro comparuit, nam cum hoc quoque illicitum sit, *arg. l. 7. §. 4. l. 45. §. 4. h. neque huic hæc actio habetur.* *Est.*

OBJ. (1) §. 2. *Inst. h. l. 5. pr. ff. h. ubi qui aggressorem occidit, injuria fecisse, & sic ex hac lege teneri videtur.*

RESP. Loquuntur de casu, ubi aliter evitare periculum, & fugiendo se tueri poterat aggressus, indeque tenetur non de damno, sed de occiso ex L. Cornelia. *d. l. 5.*

OBJ. (2) L. 45. §. 4. *h. ibi: tenebor lege Aquilia.*

RESP. Non loquitur de provocante, sed de eo, qui telum misit in prætereuntem, eumque occidit, hic ergo culpa sua tenetur ex L. Aquilia.

OBJ. (3) L. 7. §. 4. *ibi: si cedentem vulneraverit, erit legi Aquiliae locus.*

RESP. Ibi contra legem arenae cedentem in pancratio vulnerat, indeque tenetur ad damnum culpa & fervore certaminis datum refarciendum.

OBJ. (4) L. 52. §. 4. *h. ibi: tabernarii culpa factum videri.*

RESP. Ibi tabernarius, tanquam autor rixae, damnum sua culpa datum restituit.

Lzz 2

OBJ.



OBJ. (5) C. 12. X. rest. spol. ibi: satisfactionem debitam exhibere.
 RESP. Loquitur de eo, qui modum excessit in defensione, adeoque de eo, qui sua culpa damnum dat; Hic enim aggressori quoque ad damna & expensas tenetur, uti saepius ita pronuntiatum esse ait Berg. in resol. h. t. q. 2.

Qv. III. An, & cur in L. Aquilia vindicetur damnum etiam levissima culpa datum?

Laut. pag. 143. verb. Etiam levissima. **E**quidem vindicari hic damnum levissima quoque culpa datum omnes fere consentiunt, & textus expressus est in l. 44. pr. ibi: in l. Aquilia & levissima culpa venit. ff. h. t. Vinn. §. 2. Inst. h. ubi varias vide sententias, Gæden. Cons. 103. n. 34. Treutl. h. §. 4. lit. f.

OBJ. L. 13. pr. Liber. Caus. ubi culpa teneri dicitur; voce autem culpæ simpliciter posita intelligitur levis. L. 3. §. 1. l. 6. ff. Jur. Ignor.

RESP. Aliud est, si certus culpæ gradus ex natura negotii definitus est, tunc enim culpa simpliciter posita intelligitur gradus ex natura illius negotii definitus, d. l. 3. junct. d. l. 44.

At ratio, cur in L. Aquilia levissima culpa præstetur, adeo evidens non est, sed primus e visceribus juris gentium eam eruit. B. Parens in tract. de Culp. Disp. 3. th. 18. junct. th. 24. n. 6. & Collat. ad Struv. Coll. 2. th. 15. Probavit enim ille ex rigore naturali hominem obligari ex omni eo, quod intellectu suo providere potuit. dict. Coll. 1. 2. 3. 4. adeoque teneri eum naturaliter ad exactissimam diligentiam. ibid. th. 5. hunc vero rigorem naturalem remansisse circa legem Aquilianam. d. Coll. 2. n. 15. idque ideo, quia iniquum esset dominum potius damnum ferre, quam eum, qui dedit, eum illi nihil vel minus forte imputari possit, quam huic, uti id plenius discutit B. Parens in dict. Disp. 2. th. 10. dict. Disp. 8. th. 18. dict. Coll. 2. th. 15.

Qv. IV. An tunc quoque reus ex culpa levissima teneatur, si res exactissimam diligentiam non requirat, ut si concurrat actio depositi?

Dissent.

Laut. pag. 143. verb. nisi res exactissimam &c.

AFFIRM. Atque hinc si in re deposita damnum datum sit, etsi ex natura negotii tantum lata culpa præstetur, tamen si actione L. Aquil. de damno agatur, culpa levissima præstatur: (1) quia distinctæ



finctæ actiones sunt & unaquæque propriam naturam præstationesque habet. (2) Ex diversa causa oriuntur, altera ex contractu, & factio licito, altera ex quasi delicto, & factio illicito: Neque (3) ratio apparet, cur magis Legis Aquiliæ, quam actionis depositi præstatio mutaretur, cum utraque æque sit principalis: Neque (4) ullibi nudus concursus actionum id operatur, ut actionis præstatio mutetur. *L. 45. ff. pro socio.* Idque (5) confirmatur per text. expr. in *l. 3. pr. Naut. caup.* ubi re apud nautam deposita conveniri potest actione depositi ad damnum lata culpa datum, & tamen si actione de Nautis, caup. &c. convenitur, tenetur ad levissimam. *d. l. 3. ibi: quas semel recepit, periculum ad eum pertinere.* Ita in *l. 5. §. f. h. is*, qui operam locavit, & damnum accepit, habet actionem locati ob levem culpam, & actionem ex L. Aquilia ob damnum levissima culpa datum. Ita actione furti contra socium agi potest, etsi concurrat actio pro socio. *d. l. 15.* Denique in *l. 45. pr. Et §. 1. Locat.* agitur de furto noxaliter, etiam propter levissimam culpam, non vero ex locato, quia hac tantum vindicatur levis.

OBJ. Quod in deposito culpa levis & levissima sit improbata.

RESP. Hinc sequitur, quod, si quis actionem ex deposito intentat, nec levem nec levissimam præstet: At si ex L. Aquilia agit, adeoque intendit alterum deliquisse corpore, vel in corpus alienum damnum dedisse, tunc omne damnum factio illicito datum, alter restituere debet: In electione ergo læsi est, quam actionem instituere velit, si actionem ex deposito eligit, lædens tenetur tantum ex lata culpa, si actionem ex lege Aquilia, etiam ex levissima.

OBST. *arg. l. 32. ff. depos. §. f. Inst. societ. arg. l. 151. R. I. l. 24. §. f. l. 26. Dam. inf.* ubi depositarius, socius, conductor, vel creditor, &c. qui rem depositam; conductam, vel oppignoratam levissima culpa fecit deteriorem, eo nomine non tenetur.

RESP. Non tenetur eo nomine, si actione depositi, pro socio, conducti, &c. convenitur. At secus est, si actione ex lege Aquilia damnum datum vindicatur; tunc enim etiam ex levissima culpa tenetur.

Atque hæc est sententia *Zæsi in Comm. h. t. n. 9.* Dissentit *Laut. h. p. 143. Struv. h. t. §. 20. ibique Müll. lit. n.* Conf. *Berger. in resol. h. t.* ubi ait dissentientium sententiam se ab æquitate, Dd. consensu, usuque ac consuetudine commendare; eamque præjudicio fir-

Lzz 3 mat



mat *Dn. Stryk. U. M. h. §. 14.* At cum ea nec lege, nec juris ratione nitatur, vereor ut ea usu fori defendi possit: Unde hodieque naturam actionis, ex qua agitur, inspiciendam esse putarem.

Qv. V. *An hac actione vindicetur quoque damnum omit-
tendo datum?*

Laut. pag. 144. verb. Omittendo. **R**ESP. Non vindicatur directa actione Legis Aquilia, quia ea vindicatur damnum, quod corpore in corpus datur, adeoque factum aliquod hic requiritur. *L. 27. §. 9. h. ibi: nihil enim fecit. l. 13. §. 2. Usufr. utilis tamen actio datur, si alia non est. d. l. 27. §. 9.*

Obj. L. 7. §. 2. l. 8. l. 27. §. 9. h.

RESP. Ibi factum aliquod concurrit.

Atque hanc sententiam confirmant *Dd.* apud *Vinn. §. 2. Inst. h.* qui ipse dissentit cum *Laut. h. p. 144. Struv. §. 29. h. etc.* at effectu conveniunt, nam & illi supponunt aliquod factum omissioni præcedens, vel cum ea concurrens: vide bene hac de re differentem *Bergerum resol. h. t. 9. 3.*

Qv. VI. *An recte definiatur vulnus lethale, quod aliquando curatum est?*

Laut. pag. 145. verb. Quale vulnus aliquando &c. **N**EG. Quia aliud alii mortiferum esse potest, alii non. *L. 7. §. 5. h.* Rectius ergo tunc lethale dicitur, ex quo hunc mortuum aut moriturum esse apparet. Adeoque si in simili persona curari non potest, etsi in alio forte robustiori curari potuisset. *d. l. 7.* Quod ex iudicio medici definitur. De lethalitate vulneris vide late *Hörn. de Jur. post.*

Qv. VII. *An etiam illi detur actio ex Legge Aquilia, qui tantum jus ad rem habet?*

Laut. pag. 145. verb. Non etiam illis. **N**EG. Quia illi tantum actionem personalem, v. gr. contra locatorem, habent, ut ille damnum datum restituat, ut uti licere præstet, &c. Et tunc locator vel agit ex lege Aquilia, vel eam conductori cedit. *§. 3. Inst. Emt. vend.* Neque (2) utilitas hujus pænæ inverti debet domino; imprimis cum (3) conductoris nihil intersit, qui actione contra dominum instituta damnum repetere potest. Idque (4) expresse ita traditur in *l. 11. §. 9. h.*

Exc



Exc. Quando conductor actionem contra dominum non habet, sed culpa forte sua negligit rem, indeque damnum ipsi datum est, tunc enim ipse potius domino tenetur, & sic ejus interest damnum hoc restitui a lædente. *arg. l. 2. pr. si quadr. paup.*

Qv. VIII. *An ille, qui aggressori damnum dat ex lege Aquilia teneatur?*

NEG. Nam qui vim vi repellit, jure naturali utitur, indeque nihil ei imputari potest. *L. 4. pr. h. l. 45. §. 4. Eod. l. 1. C. Unde vi. Vide tamen supr. q. 2.*

Necessaria autem defensio *jure naturali* tunc est, si aggressus absque internectione aliter effugere injuriam non possit, sive illa actu inferatur, *l. 45. §. 4. h. §. 2. Inst. h.* sive saltem præparetur. *L. 4. verb. insidiantem h. t.* Etsi armis non lethalibus invadatur, & fuga salutem querere possit; Nam cum ego jus habeam eundi & standi in loco, injuriam facit qui hoc jus aufert, indeque illud etiam cum internectione violantis defendere possum.

Jure Civili, quod tranquillitati & securitati publicæ studet, non est necessaria defensio, si fugere tuto potest; *d. l. 4.*

Noviter demum *ex Constitutione Car. V.* limitata & ad eum casum restricta est necessaria defensio, si lethalibus armis quis invasus alium occiderit. *O. C. art. 140. Phil. Uf. pr. Inst. l. 4. Ecl. 14. n. 1. seq.*

His requisitis positis non tenetur invasus primum expectare ictum, *O. C. art. 140.* quia eo ipso perire posset, merito igitur prævenire, eoque periculum avertere potest. *Dn. Coccej. Hyp. Inst. h. §. 4.* Nec præcise requiritur, ut paria sint arma, *Dn. Coccej. d. l.* nam sufficit alterum vim mihi intentare, quam quocumque modo repellere possum.

Atque ex his apparet, quando moderamen inculpatae tutelæ excedatur. Quod sit (1) si periculum non est, sed aggressus aliter illud effugere possit, atque hinc si potuit invasorem capere, & maluit occidere, non tantum ex *L. Aquilia*, sed & ex *L. Cornelia* tenetur. *L. 4. l. 5. pr. h.* Item, si non in continenti, sed ex intervallo aliquem occidat. *L. 3. §. 9. vi & vi & c.* quia tum non amplius est necessaria defensio, sed ultio, *d. l. 45.* Atque hinc in duello aliquem occidens ordinaria pœna tenetur, etsi injuriis ad duellum fuerit invitatus, quicquid dissentiat *Phil. l. 4. Ecl. 14. n. 6. n. seq.* Idem quo-



quoque obtinet, si tuto fugere potuerit. *d. l. 4. Strjk. U. M. h. §. 10. & 11.* (2) Si actu non invadatur, sed saltem insidia fluantur, nisi insidias illas evitare sine interneccione insidiantis non possit. *d. l. 4.* (3) Si non lethalibus armis invadatur, sed saltem pugno percutiatur; tunc enim quoque ex ord. criminali non videtur necessaria defensio, *O. C. art. 140. Strjk. d. l. §. 12.* Indequè his omnibus casibus extra ordinem punitur occisor.

NOT. Moderamen inculpatæ tutelæ allegans illud probare debet: sufficiunt vero conjecturæ, & vulgares probationes, quæ iuramento suppleri possunt, quia in liberando debemus esse faciles. *O. C. art. 140.*

Qv. IX. *An is, qui tempore incendii vel tempestatis iusto metu damnum dat, ex hac lege teneatur?*

NEG. Atque hinc, si quis incendii arcendi causa vicinas ædes intercidit, cessat actio legis Aquiliæ, etsi ignis eo non pervenerit. *L. 49. §. 1. h. t.* quia iustus metus est, ne ignis eo perveniret, *d. l. 49. l. 3. §. 7. de Incend.* Neque tunc revera damnum est, quia ædes probabiliter æque peritura fuissent. *L. 7. §. 4. ff. Quod vi aut clam. Struv. h. §. 21. Laut. p. 144.* At si aliquid vi aut clam factum esse dicatur, tunc ex interdicto quod vi &c. ad simplum litis tenentur vi & clam diruentes. *d. l. 7. §. 4.*

Eadem ratio est, si quis servandarum mercium causa alienas merces in mare projecit, nam tunc nulla actione tenetur. *L. 14. pr. Praeser. verb.* At (1) si sine causa id fecit, actione in factum, vel dolo, tenetur. *Ibid.* (2) Si levandæ navis causa tempore tempestatis iactus fiat, omnium contributione sarcitur, quod pro omnibus datum est. *L. 1. l. 2. L. Rhod. de jact.* (3) Si culpa alterius damnum datum sit, ut si ratis male alligata vi fluminis in agrum meum deferatur, de damno hoc alter cavere debet, per *l. 9. §. 3. Damn. inf. ibique Goth. l. a.* Denique & (4) aliud quoque est moribus emporiorum in casu, ubi duæ naves casu collidendo damnum dant, tunc enim damnum ita datum communicatur. *Coren. Obs. pen. & ult. Neost. dec. 49.* nisi unius culpa manifeste appareat. *Conf. tit. ad L. Rhod. &c. q. 8. & 9.*

Qv.



Qv. X. An pœnae L. Aquiliae hodieque obtineant?

NEG. Quia pœnae privatae hodie cessant. Vide infr. tit. de Obl. Laut. pag. Et Act. B. Par. Inst. tit. off. §. 23. Laut. h. p. 145. ibique Groenw. 145. verb. Matth. Et Gudelin. Hinc hodie non aestimatur damnum quanti re-^{Hodie non}tro vel in anno, vel in mense fuit, sed quanti die damni dati est. ^{observatur,} Hyp. h. tit. §. 8. Struv. h. §. 25. Stryk. U. M. h. §. 2. Et 3. Quo etiam continentur ea quae occasione damni fiunt. dist. Hyp. Nisi in specie illa aestimatio Civilis recepta appareat, ut in Borussia. Stryk. d. l. §. 3. Atque hinc nec hodie lis inficiendo crescit in duplum, nam hæc quoque pœna privata est. Stryk. U. M. h. §. 20.

Qv. XI. An etiam cicatrices, deformitas, aut dolores aestimantur?

NEG. Laut. d. p. 145. Quia corpus liberum non recipit aestimatio-^{Laut. ibid.}nem: Atque hinc est quod, si in tale corpus aliquid effusum verb. ^{Non}vel dejectum est, non datur aestimatio cicatricum. L. f. ff. de Eff. ^{Et etiam de-}dej. vid. tit. seq. Qu. fin. attamen injuriarum tenetur ita effundens ^{formitas.}vel dejiciens; etsi enim corpus liberum aestimationem non recipiat, injuriam tamen patitur, nam quicquid non jure fit, injuria est, arg. l. 8. de Injur. Et arg. pr. Inst. de Injur. Phil. Uf. pr. l. l. 4. E. 34. n. 10. Et n. f. ubi præjudicium affert. Conf. Stryk. U. M. h. §. 10. B. Par. Hyp. Inst. h. §. 8. Egregie id decidit Simon van Leeuwen l. 5. cens. for. c. 21. n. 18. Deformitatis, inquit, Et cicatricum ratio habenda est, veluti si puellae inuptae facies deformata sit, quae nubere non potest, nisi ampliore dote constituta, aut si honestioris viri facies per genas aut per faciem fuerit transmissa; quod præter deformitatem, probatoris vitæ famam onerare solet; quae ita moribus obtinere certius est, quam ut probatione aliqua indigeant.

At quoad cætera, nihil hodie mutatum apparet; atque hinc concurrunt criminalia judicia, si quis dolo vulneratus vel occisus est; §. 11. Inst. h. l. 23. §. 9. h. Item si nec corpus læsum est, datur actio prætoriana in factum, vel de dolo; Quin hodieque custos vincitum dimittens vel misericordia vel culpa tenetur creditoribus ad interesse & ad pœnam arbitrariam; Phil. d. l. 4. E. 19. n. 5. Et seq. vel si dolo dimittat, eandem incurrit pœnam, quam dimissus meruit;

Cocc. J. C. P. I.

Aaaa

quan-



quanquam hoc iudicis arbitrio rectius committatur: *Phil. Uf. pr. d. l. n. 11. Et seq.*

Qv. XII. *An actio in factum, Et actio Legis Aquiliae utilis, distinctae actionum species sint?*

Laut. pag. 145. verb. Cognata est actio subsidia-ria Et. **A**FFIRM. Nam (1) actio *l. Aquil. utilis* datur ex mente legis, actio *in factum* vero ubi sententia legis Aquiliae cessat. *Laut. p. 145. in f.* Etenim (2) *illa* datur ubi corpus corrumpitur & laeditur; §. *f. Inst. h. Haec* ubi damnum datur, etsi corpus non corrumpatur, ut si quis vineum servum solvit, ut salvus anfigiat. §. *ult. in f. h. t.* Atque hinc (3) actio *haec* datur ex solo dolo & lata culpa, tum quia de eo omnes textus concepti sunt, qui ejus meminere. §. *f. h. l. 49. pr. h. l. 55. §. f. A. R. D. l. 7. §. 7. Dol. mal.* tum quia actio *in factum* a Praetore data est, praetor autem dolum tantum punit. *L. 1. §. 1. Si mens. fals. mod. Illa* vero etiam ex culpa levissima. *vid. sup. q. 3.* Unde (4) actio *haec*, quippe praetoria anno finitur, *illa* vero quia est civilis, & ex plebiscito (vid. *Treutl. h. §. 4.*) finitur 30. annis &c. Atque hae differentiae (5) hodieque obtinent.

DISSENTIT *Dn. Berger. resol. h. t. Qu. 4.* at re ipsa consentit.

DISSENTIT quoque *Dn. Stryk. U. M. h. §. 6. Et 7. ibique Dd.* Ubi in foro quoque nullum hujus differentiae usum superesse ait.

Qv. XIII. *An is, qui agit contra vicinum, in cujus aedibus ignis exortus est, probare debeat ipse culpam?*

Laut. pag. 146. verb. qui agit contra vicinum. **N**EG. Nam inhabitantis culpa semper praesumitur factum; *l. 3. §. 1. de Praef. Vigilum:* qualis quoque culpa est, si contra legem conductionis foenum in villa composuit, tunc enim, etsi casu ignis injiciatur, tenetur inhabitans. *L. 11. §. f. l. 12. Loc. Cond.*

OBJ. (1) *L. 11. Per. Et com. ibi: quia sine patrisfamilias culpa fieri potest.* Unde concluditur, si paterfamilias diligens fuerit, ejus culpam non praesumi, adeoque eam probandam esse.

RESP. Imo, cum igne exorto semper culpa praesumatur, *d. l. 3.* cum incendium sine culpa fieri non possit, *d. l. 11.* nemo hic diligens & frugi praesumi potest, sed qui id allegat, probare debet: hoc autem probato, recte dicitur in *d. l. 11.* venditorem tum liberari, si eam diligentiam adhibuit in custodienda domo, quam ho-

mines



mines frugi & diligentes debent præstare: Non ergo dicitur, quod paterfamilias diligens præsumatur, indeque ejus culpa probari debeat, sed quod (si de ejus diligentia constet, eaque probata fuerit,) tunc a culpæ præsumptione sit immunis.

OBJ. (2) *arg. l. 6. §. ult. naut. caup. ibi: ut certi hominis factum arguamus:* Qui autem certi hominis factum arguit, illud probare, culpaque ejus factum esse demonstrare debet.

RESP. Regulariter hoc verum, culpa enim regulariter non præsumitur, nisi tale factum sit, quod sine culpa fieri non potest, ut ignis injectio: per text. expr. in *d. l. 11.* Atque ita sentiunt *Carpz. p. 1. q. 39. n. 58. Vinn. l. 1. q. 33. &c.*

Qv. XIV. *Cur actio hæc non detur contra hæredes?*

RESP. Ideo quia actiones quæ ultra simplum, & sic ultra id, quod ablatum est, dantur, pœnam prosequuntur, & pœnales dicuntur. §. 9. *Inst. L. Aquil.* (licet enim quoque rei persecutionem continent, & hæcenus mixtæ sint, tamen simpliciter in jure pœnales vocantur. Vid. late *Dn. Coccej. in disp. de obl. hæc. ex del. def. sect. 2. &c.* §. 12.) Obligatio autem defuncti ad pœnam necessario morte ejus desinit. *L. 20. de Pœn. Dn. Coccej. d. S. 2. §. 2.* Atque hinc actio *L. Aquil.* transitura fuisset in hæredes, si in simplum daretur. §. 9. *L. Aquil.* at quia ultra simplum datur, & quantum retro plurimi &c. hinc tanquam pœnalis in hæredes non transit. *d. §. 9. l. 23. §. 8. h. t. Dn. Coccej. d. S. 2. th. 21.*

Adeoque falsum est, ideo hanc actionem ad hæredes non transire, quia est ex delicto, in qua sententia sunt *Laut. & Dd. Comm.* (nam actiones ex delicto quoque, si sint rei persecutoriæ, transeunt ad hæredes:) Sed ideo quia ultra simplum datur, & sic quia pœnalis est, pœna autem nunquam transit ad hæredes. *d. §. 9.*

Hodie hanc actionem ratione ejus quod interest ad hæredes transire ait *Dn. Stryk. U. M. h. §. 5. tum*, quia in simplum datur, *arg. d. §. 9. tum* quia J. Can. hæres tenetur pro rata hæreditaria ad restitutionem damni a defuncto dati. *c. f. X. de sepult. c. 5. X. de Rapt.*



HIS, QUI EFFUDERINT VEL DEJECERINT ETC.

Qv. I. *Si plures in eodem coenaculo habitent, an singuli teneantur in solidum?*

Laut. pag. 146. verb. Plures pro indiviso &c. **A**FFIRM. Si plures pro indiviso ibi habitent, tunc enim plures sunt culpæ, & unusquisque neglexit, (Conf. *sup. l. 2. t. 1. q. 27.*) de quo est *l. 1. §. f. l. 2. l. 3. h.* ubi additur alia ratio, quia impossibile est scire quis deiecisset vel effudisset. At unius præstatio liberat reliquos, nam damno restituto læso nihil amplius abest, indeque contra reliquos agere ulterius non potest. *d. l. 3. vid. dist. q. 27.*

OBJ. *L. ult. §. 5. Naut. coup.* ubi unusquisque exercitorum tantum pro parte, in qua navem exercet, tenetur.

RESP. Ibi plures exercent navem pro diviso, indeque unusquisque tantum tenetur pro parte sibi credita.

Qv. II. *An, si unus eorum, qui in eodem coenaculo habitant, solvit, reliqui societatis iudicio teneantur?*

Laut. pag. 146. verb. præstaturos partem &c. **A**FFIRM. Quia lucrum & damnum inter socios communicantur; idque ita traditur *l. 4. h. t.*

OBJ. Quod in delictis non fit societas.

RESP. Societas hic consistit in communi habitatione, quæ licita est, neque electio mali servi inter socios delictum est, sed respectu læsi, neque ipsi opponere invicem hoc quasi delictum possunt, quia uterque servum elegit.

Qv. III. *An hæc actio de effusis, &c. sit perpetua?*

Laut. pag. 146. verb. Et quidem in perpetuum &c. **A**FFIRM. Quoad simplicium, non vero quoad duplum, quia hæc actio pœna est, & sic ultra annum non datur. *L. 35. O. A.*

OBJ.